

Etiore, atque in facie quædam plerumque tunc liuedo apparet, alia sæpe per consensum læditur, idquæ sæpe ipsius ventriculi atque mirach, de quo pòst. Aliquando quoque fit vitio totius corporis, tuncque color faciei ad nigredinem vergit, retentio denique sanguinis menstrui hæmorrhoidumve, aut alia aliqua consueta excretio substitut, superfluitates scilicet iecoris vel splen-nis, habitus corporis est gracilis, hirsutus, ad nigredinem vergens, venas latas habens. Cùm ex dictis intelligere liceat hunc affectum esse depravatam quandam functionem ipsius principis facultatis, symptomata esse, non morbum, in confessu est. Imaginandi autem facultas non cogitandi, nec memorandi hic læditur, eritque symptoma pertinens ad actionem læsam facultatis principis, imaginatrixis scilicet.

S I G N A Melancholiæ cuiusvis, sunt metus & mæstria; male concurrunt cogitationes absque causa manifesta, vapores enim ab atra bile enati, eleuatique, tenebras mentis offundunt, eò quod cerebrum tenebris simile est redditum, aut quasi tenebrosum sit effectum; haud aliter enim mentem murare videntur quam nocturnæ tenebræ, quæ timoris terrorisque non nihil mouent hominibus in iis ambulantibus. Item tædio vitæ, necnon malis intentisque animi cogitationibus afficiuntur, tandem etiam absque ullo ordine verba profundere incipiunt inania. Frequenter etiam in lacrymas prorumpunt, solitudinibusque nunc gaudent, easdemque rursus damnant, cogitabundi sunt, alij se semper decipi, insidiasque sibi strui credunt, somnus perbreuis est turbulentisque insomniis perturbantur. Præter iam dictos autem affectus qui omnibus melancholicis communes sunt, aliqui quasi semper rident, utrè contrà alij semper lacrymantur; lij vates se augurantes, de rebus futuris multa pollicentur; nonnulli se potentes esse putant; alij in nouam speciem se transformatos existimant, unde alij cuculorum, alij gallorum aut aliorum animalium voces gestusque imitantur. Alij n-